



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quomodo peccata parentum imputentur filiis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

cata fuerunt in conspectu Domini, & maledicta. Id quod D. Augustinus passim tam diligenter probat claris & inuictis testimoniis scripturæ, ex quibus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 25. concludit omnium infidelium virtutes vitia potius esse quàm virtutes. *Etiã ipse (inquit) talium virtutes vitia sunt potius quàm virtutes. Quamobrem? Quia in Deum non diriguntur: tales enim Deum non cognoscunt, nec venerantur, quemadmodum à nobis agnosci ac coli vult.*

Hoc non tantum benè quadrat cum dicto Pauli, Rom. 1. verum etiam ex eo concluditur. Ibi enim scribit palàm fieri iram Dei de cælo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui veritatem in iniustitia detinent: propterea quod id quod de Deo cognosci potest, manifestum est, & à Deo patefactum: ipsi verò cum Deum cognouissent, eum tamen non vt Deum glorificauerunt, neque grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas. Post hæc recenset Apostolus omnes venenatos fructus innatæ impietatis, qui partim apud gentiles, partim apud Iudæos eruperunt. Vnde concludit, *uniuersum mundum Deo obnoxium esse, & sub peccato: quòdque omnes peccarint, & sint destituti gloria Dei possintque per solum Christum, qui impium & peccatorem iustificat, ad iustitiam peruenire*, Rom. 3. Ex quo loco D. Augustinus benè colligit, *Cū Deus sit, qui peccatores iustificat, & Christus Dominus nos omnes, cū adhuc essemus inimici Dei, cum Deo reconciliari, omnes igitur qui nondum per Christum iustificati sunt, perpetuò impios ac hostes Dei manere.*

Ex hoc verò non sequitur, Imaginem Dei in hominibus prorsus ac penitus esse extinctam: siquidem imaginem Dei in homine in eo collocare velimus, quod aliquam cognitionem ac voluntatem boni habeat, quemadmodum nonnulli Patrum & scholastici doctores faciunt.

Nam infideles quoque aliquem adhuc intellectum, voluntatem, ac memoriam boni habent, quæ etiam Dominus in ipsis in tantum ad id quod bonum est dirigit, vt propria conscientia eos accuset, quando cūque bonum illud non exequuntur: etiam si sine spiritu regenerante verum bonum non rectè cognoscere aut suscipere possint.

Si verò imaginem Dei in homine ponamus in cognitione & voluntate veri boni, quemadmodum S. scriptura, & antiquiores Patres de ea loqui solent, certissimum est eam in homine penitus esse extinctam, ac necesse esse, vt tota per Christum Dominum restauretur. Vnde est quod renouatio nostri ad imaginem Dei Regeneratio dicitur, sine qua nemo hominum quicquam boni rectè intelligere aut velle potest.

Hic non est qui intelligat, non qui exquirat Deum: omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui exerceat bonitatem, non est vsque ad vnum, Psal. 14. Verum de hoc copiosius in articulo de Peccato originali suprà disputatum est.

Tertiò calumniantur Aduersarij, in precatione quadam posita in libro Reformationis orari, non hoc tantum, ne Dominus imputet paruulo aut baptizato peccatum & iniustitiam Adæ, verum etiam ne paruulorum suorum totiusque populi peccata ei imputentur. Quam precationem inauditam & à Catholica fide alienam esse scribunt.

## Responsio.

**S** hæc precatio Catholica non est, quare igitur Daniel hunc in modum confessus est? *Ob peccata nostra, & ob iniquitatem Patrum nostrorum Hierusalem, & tuus populus ludibrio sunt omnibus vicinis nobis regionibus.* Daniel. 9. Et quare Dominus ipse minatus est; se vindicaturum iniquitatem Patrum, qui ipsum odio prosequuntur in filiis, in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. Ex quibus dictis etiam D. Augustinus, qui tamen verè Catholicus doctor est, agnoscit hanc opinionem à Catholica fide non alienam. Cui neque illud repugnat, quod Dominus per Ezechielem loquitur, cap. 18. nempe quod filius non sit portaturus iniquitatem Patris. Idem enim loquitur de iusto filio, & huic iniuitas iniusti Patris. nihil nocebit, quemadmodum è contra filio iniusto iusti Patris iustitia non proderit. Infantes autem nondum renati, nec dum iustificati sunt, atque idcirco participes iniquitatis ac pœnarum suorum parentum, iuxta ipsius Domini comminationem. Quamobrem filij Israël, qui Patrum suorum impietatem fuerant imitati, & ipsi quoque iniusti atque impij euaserant, rectè per Hieremiam orant, *Patres nostri peccauerunt, & nos baiulamus iniquitates eorum.* Thren. 3. Forma igitur orandi pro paruulis nondum regeneratis, ne Deus illis imputet parentum suorum & totius populi peccata, à Scriptura non dissonat. Orationes igitur quæ in S. Scriptura habentur etiam coram Deo confitentur peccata regum suorum, Sacerdotum & totius populi, veniamque & remissionem eorum petunt.

Quartò reprehendunt etiam id quòd Liber affirmat, illos qui indignè adfiterint, ubi confertur Baptismus peccare æquè atque ij qui corpus & sanguinem Domini indignè tractant & sumunt. Quam comparisonem dicunt nusquam reperiri in S. Scripturis. Perinde ac si nihil apud illos valeat, nisi quod in S. Literis expressè docetur. Sat sciunt, quod quicquid ex S. Scriptura consequitur, id apud nos quoque valere debeat.

## Responsio.

**S** Scriptura docet, Baptisum esse incorporationem in Christum, se-  
pelitionem in mortem Christi, induitionem Christi: item quod Deus Pater, Filius, & Spiritus S. vnicus & æternus Deus sit, qui infantem baptizet. Iam qui indignè apud Sanctissimam hanc verèque diuinam actionem apparet, vtrum ille non perinde seipsum reum faciat mortis ac passionis Christi, læsæque maiestatis diuinæ, atque is qui corpus & sanguinem Domini sumit & tractat indignè, iudicium esto pene Christianos, qui Scripturæ credunt, & considerant quid Dominus Etā. 1. & 29. & Dominus, Matth. 15. & Psal. 50. de indigna apparitione & præsentia apud diuinorum verborum & Sacramentorum tractationem testantur.